Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1037
Quelle:
Copyright:



conante. *Behemoth* adductis prius *Philippi*, cujus *Commentarius in Job* T. XI. *Opp. Hier. edit. Vallarſ.* legitur, et *Gregorii* M. ſententiis, lapſum Angelum interpretatur, *Leviathan* vero cum eum ipſum, tum partem humani generis ipſi adhaerentem. Initium Epiſtolae ejusmodi eſt: *Domino ſanctiſſimo. et nimium deſiderantiſſimo. apoſtolico honore digniſſimo epiſcopo. ille humilis. deuotas orationes. et fideliſſimum. atque aeternum ſeruitium. Epiſtola beatitudinis ueſtrę. maximum et gaudium indidit. et metum incuſſit* &c. Finis: *obſecro. ut corrigendo inſtruatis inſcium. non ſpernendo abſterreatis deuotum.* Librum *Literarum* a *Rabano Mauro* relictum fuiſſe, teſtis eſt *Trithemius*; paucas vero illius hactenus inventas, norunt Eruditi. Itaque vix haereo et praeſentem, et ſubſequa plura Reſponſa eidem tribuere, eoque magis, quod utrinque certis *Rabani* Operibus intercepta ſint, ut patebit.

VII. *fol.* 99. Expoſitio in illud *Amos* C. V. *Ve deſiderantibus diem domini* &c. Initium: *In expoſitionibus ſcripturarum maxime propheticarum primum hyſtoriæ iacienda ſunt fundamenta. quibus ſolide conſtitutis. allegorica ſtructura inconcuſſa firmitate procedere poterit* &c. Solet hoc urgere *Rabanus*.

VIII. *fol.* 100. Expoſitio in illud *Matth.* C. XII. *Omne peccatum et blaſphemia dimittetur hominibus* &c. Initium: *Senſus hujus ſententiæ pendet ex ſuperioribus* &c. Vides, ut obſervet *Rabanus* id, quod in *Epilogo* ad *Benedictiones Filiorum Jacob* commendaverat. Praeterea quam gemina ſunt, quae hic, et *Commentarii* ſui in *Matth. L.* IV. *T. Opp. V. p.* 76. tradit.

| Codex. | Edita. |
| --- | --- |
| *Itaque contra filium hominis dicebant uerbum hi. qui in eius carne ſcandalizabantur. hominem eum tantum arbitrantes. eumque fabri filium appellantes. et fratrem illum habere dicentes. hominemque uoracem. et potatorem vini. eum eſſe ſuccenſentes* &c. | *Quicunque convicia dixerit contra me ſcandalizatus quippe carne mea et me hominem tantum arbitrans, quod filius ſim fabri et fratres habeam Jacobum et Joſeph et Judam, et homo vorator et vini potator ſim* &c. |

IX. *fol.* 102. Expoſitio in illud *Iſaiae* C. LXVI. *Et egredientur et uidebunt membra* (Sept. κωλα. Vulg. *Cadavera.* פגרים) *hominum, qui praeuaricati ſunt in me.* Disquirit autor, qua ratione Electi poenas Reproborum viſuri ſint. Initium: *Quomodo egredientur boni ad uidendas poenas malorum?* &c.

X.